

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

COMMUNICATIONES

VOL. XXXIII - N. 2

2001

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 2

Semestrale

DECEMBRI 2001

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Litterae Apostolicae Motu Proprio datae quibus Normae de gravioribus delictis	139
Allocutio ad eos qui Conventu Plenario Cong. pro Clericis partem habuerunt	141
Allocutio ad eos qui in Symposio « Ius Ecclesiarum – Vehiculum Caritatis » partem habuerunt	145

EX ACTIS CONSILII

QUAESTIONES QUAEDAM STUDIO PONTIFICII CONSILII SUBMISSAE	148
RELATIONES CUM IURIS CANONICIS STUDIOSIS	150
Oratio Exc.mi Praesidis in coetu Synodi Episcoporum	151
Oratio Exc.mi Praesidis in contextu Symposii « Ius Ecclesiarum – Vehiculum Caritatis ».	154

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM	
Responsum ad dubium propositum: utrum Episcopus dioecesanus sacerdotes eiusdem dioecesis obligatione adstringere possit ad admittendas mulieres vel puellas in servitium altaris necne.	162
CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI	
Responsum ad propositum dubium de validitate Baptismatis apud communitatem «The Church of Jesus Christ of Latter-day Saints»	162
Epistula de delictis gravioribus reservatis Congregationi pro Doctrina Fidei.	163
PONTIFICIA COMMISSIO DE BONIS CULTURALIBUS ECCLESIAE	
Ex «Lettera circolare sulla funzione dei musei ecclesiastici»	168

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio VIII)	190
Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio IX)	203
Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio X)	226
Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio XI)	250
NOTITIAE	279
OPERA A CONSILII BIBLIOTHECA RECEPTA	281

Ex Actis Pont. Comm. CIC Recognoscendo

COETUS STUDIORUM « DE MATRIMONIO »

Sessio VIII^a

(dd. 10-13 novembris 1969 habita)

Diebus 10-13 novembris 1969, in Aula sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut membra Coetus studiorum ad recognoscendas normas CIC de Matrimonio.

Interfuerunt Exc.mi Schneider, Lourdusamy et Bank; Ill.mi ac Rev.mi Damizia, Quinn, Garcia Barberena, de Clercq, Cremin, Che, Flatten; Rev.mi PP. Huizing et Leclerc et Cl.mus Giacchi.

Praesentes etiam erant Rev.mus P. Bidagor, Secretarius Generalis Commissionis et Rev.mus Voto, a studiis eiusdem Commissionis.

Quintae et sextae adunationibus praefuit Em.mus Card. Pericles Felici, Praeses Commissionis; ceteris autem adunationibus praefuit Rev.mus Secretarius. Rev.mus Huizing functus est munere Relatoris et Rev.mus Voto munere actuarii.

Omnes praesentes Consultores, excepto Rev.mo decimo Consultore, votum de propositis quaestionibus scripto fecerunt. Etiam Rev.mus Chen, qui Sessioni interesse non potuit, votum suum scripto Secretariae miserat.

Rev.mus Relator supra vota Consultorum Relationem apparavit.


Adunatio I^a

die 10 novembris 1969 – mane habita

Rev.mus Secretarius omnibus Consultoribus salutem dicit et singulariter salutat Rev. de Clercq, qui nuper huic coetui adscriptus fuit.

Deinde quaerit num Consultores relationem laborum VII^{ae} Sessionis probent quod attinet sive ad integritatem sive ad veritatem eorum quae in VII^a Sessione dicta sunt.

Consultores omnes Relationem probant.



Demum Rev.mus Secretarius petit a Relatore ut proponat quaestiones examinandas.

Can. 1087, §1

Rev.mus Relator proponit quaestionem utrum metus debeat esse directus an possit esse etiam indirectus.

Plures Consultores censent etiam metum indirecte incussum irritare matrimonium, quia:

1. finis huius canonis est ut libertas matrimonii in fieri in tuto ponatur, ita ut matrimonii ligamen non oriatur, nisi consensus matrimonialis vera ac plena libertate praestitus sit. Iamvero quoad libertatem non peior est condicio illius qui metum directum patitur, quam illius qui metu indirecto cogitur. Ergo etiam metus indirectus matrimonium irritare debet (Exc.mus primus Consultor, Rev.mi secundus, tertius, quartus, quintus, sextus et septimus Consultores et Rev.mus Relator).

2. nihil refert quaenam sit intentio metum incutientis. Talis intentio momentum haberet si finis canonis esset punire partem quae metum intulit. Sed si finis canonis est tuitio libertatis, omnis metus, sive consultus sive inconsultus, matrimonium irritare debet.

Consultores agnoscunt difficilis probationis esse nexum causalitatis inter metum inconsulte illatum et praestationem consensus matrimonialis, sed hoc pertinet ad munus iudicis, cuius erit examinare utrum in casu concreto talis nexus exstiterit necne (Rev.mus tertius Consultor et Rev.mus Relator).

Imo etiamsi metus illatus sit «ad extorquendum consensum», nihil refert de intentione metum incutientis, quia effectus illius metus non pendent ab illa intentione, sed a statu animi metum patientis (Rev.mus sextus Consultor).

Exc.mi Consultores octavus et nonus censent finem canonis esse sive libertatem metum patientis tueri, sive iniustitiam vim incutientis punire. Ideo solum metus directus reddit nullum consensum, quia tantummodo in hoc casu nexus exstat inter iniustitiam patratam ac libertatem laesam.

Secundum Rev.mum decimum Consultorem libertatis laesio tunc tantum clare apparet quando metus directe incussus sit. Casus ex metu indirecto resolvi forsitan poterunt per canonem recognitum de impedimento raptus.

Rev.mus undecimus Consultor censet casus ex metu indirecto excludendos esse ab hoc canone ne multiplicentur nullitates iuris ecclesiastici.

Ill.mus duodecimus Consultor censet finem canonis non in eo esse ut in tuto sit simpliciter libertas, sed libertas quae sit *iniuste* violata: quod quidem habetur tantum per metum directe incussum.

Cum maior pars Consultorum teneat etiam metum indirecte incussum irritare matrimonium, quaeritur num isti casus resolvi possint per can. 1074 de raptu, secundum suggestionem Rev.mi decimi Consultoris.

Omnes Consultores negative respondent.

Instat Rev.mus decimus Consultor, notando quod de metu directe incusso merito conditiones ponuntur ut sit gravis, ab extrinseco et iniuste incusus. Sed metui indirecte incusso non videtur proprie tales conditiones applicari posse, quia deest nexus directus inter metum et consensum praestitum.

Rev.mus tertius Consultor respondet quod etiam de metu indirecte incusso eadem conditiones ponendae sunt; relatio vero talis metus ad matrimonium non stat in causalitate directa ad extorquendum consensum sed in anormali situatione obiectiva partis quae inducitur ad eligendum matrimonium. Ne nimis urgeatur necessitas illius causalitatis directae, melius est dicere « *metus consulte vel inconsulte incussus* » loco « *directe vel indirect incussus* ».

Exc.mus nonus Consultor animadvertit illam *causalitatem directam* praeteriri non posse; secus aperitur via subiectivismo.

Suffragatur placeatne restringere canonem ad metum directe incussum.
Placet 5; non placet 8.

Suffragatur ad formulam quod attinet:

1. num placeat formula CIC prouti est:
Non placet 12, abstinet a sententia ferenda 1.

2. placeatne formula Codicis Orientalis:
Placet 2; non placet 11.

Adunatio II^a
die 10 novembris 1969 – vespere habita

a. Discussio habetur de formula canonis quae includat etiam metum indirectum tamquam causam invalidantem consensum.

Rev.mus quartus Consultor proponit ut formula CIC ita mutetur:
« ...ob vim vel metum gravem ab extrinseco et iniuste, etiam inconsulte incussum, a quo... ».

Talis additio iam proposita fuit in Commissione praeparatoria Concilii Oecumenici Vaticani II (cf. Schema decreti de consensu matrimoniali propositum a Commissione de disciplina sacramentorum).

Propositio maiori parti Consultorum placet.

Rev.mi quintus et septimus Consultores censent illam additionem esse superfluum quia iam in formula CIC, uti iacet, includitur metus indirecte incussus.

Ex opposita ratione, Ill.mus duodecimus Consultor item praefert formulam CIC uti iacet, tamquam extremam rationem, adfirmat, excludendi metum indirecte incussum ab hoc canone. Siquidem enim iurisprudencia usque adhuc fere constanter interpretata est canonem agere exclusive de metu *directe* incusso, sperandum est quod etiam in futuro iurisprudencia eum ita interpretetur.

Rev.mus septimus Consultor proponit ut dicatur simpliciter: «...*metum quolibet modo incussum*...».

Exc.mus nonus Consultor dicit se esse contrarium illi additioni, tamen si ex voluntate maioritatis Consultorum additio facienda sit, melius est dicere «*etiam indirecte incussum*» loco «*inconsulte incussum*».

Rev.mus quintus Consultor censet neque verbum «*inconsulte*» neque verbum «*indirecte*» esse omnino clara, quare melius erit si expresse dicatur: «...*quidquid sit intentum a vim inferente*».

Rev.mus undecimus Consultor proponit ut habeantur duae paragraphi distinctae, una de metu directo et alia de metu indirecto.

Suffragatur placeatne propositio Rev.mi quarti Consultoris:

Placet 7; non placet 4; abstinet a sententia ferenda 1.

b. Exc.mus octavus Consultor proponit ut supprimatur verbum «*iniuste*», quia superfluum est.

Huic propositioni accedunt Rev.mi quintus Consultor et Relator, quia libertas semper violatur sive metus sit iustus sive sit iniustus.

Ill.mus duodecimus Consultor vero animadvertit verbum «*iniuste*» fuisse superfluum in formula CIC, quae communiter interpretabatur tantum metum *consulte* incussum includere. Nunc, autem, cum in canone etiam metus *inconsulte* incussus inclusus sit, verbum «*iniuste*» est omnino necessarium, secus nulla limitatio huius capitis nullitatis habebitur, cum permultae possint esse causae metum inferentes.

Alii Consultores et etiam Exc.mus octavus Consultor concordant cum Ill.mo duodecimo Consultore.

Suffragatur placeatne suppressere verbum *iniuste*.

Placet 2; non placet 10.

c. Aliqui Consultores censent expressam in canone fieri debere mentionem timoris reverentialis, cum constanter et indubitanter talis timor a iurisprudencia admissus sit tamquam causa invalidans consensum (Exc.mus nonus Consultor et Ill.mi quartus et duodecimus Consultores).

Omnes alii Consultores dicunt non esse necessariam expressam mentionem timoris reverentialis, quia talis metus non irritat consensum nisi habeat qualitates metus communis, scilicet nisi sit gravis, ab extrinseco et iniuste incussus.

Post aliquam discussionem, suffragatur num placeat expresse mentionem facere de timore reverentiali:

Placet 1; non placet 11.

d. Exc.mus nonus et Rev.mus quintus Consultores proponunt ut supprimatur verbum « *quoque* », quia formulatio cuiuslibet canonis in se stare debet.

Propositio omnibus placet.

Adunatio III^a

die 11 novembris 1969 – mane habita

a. Ill.mus duodecimus Consultor proponit ut tribuatur qualificatio gravitatis tum metui, tum vi in § 1.

Rev.mus tertius Consultor propositionem Ill.mi duodecimi Consultoris approbat, dummodo dicatur « *ob vim et metum* » loco « *ob vim vel metum* ».

Omnibus aliis Consultoribus propositio Ill.mi duodecimi Consultoris non placet.

b. Exc.mus nonus Consultor proponit ut in § 1 deleantur verba « *a quo ut quis se liberet, eligere cogatur matrimonium* ». Ratio haec est: cum compilatores can. 1087 in eodem textu tum metum consultum seu directum, tum metum indirectum seu inconsultum comprehendere voluissent, ideo elegerunt locutionem prorsus insolitam, immo quodammodo terribilem grammaticalem dicendo: « *a quo ut quis se liberet, etc...* ».

Cum a maiore saltem parte Consultorum Coetus expressis verbis introductus sit in canone 1087 « *metus inconsultus* », superfluum, immo periculosum est retinere veterem locutionem « *a quo ut quis, etc...* », cum in nova redactione non amplius habeat sensum. Connexio enim causalis inter metum interque matrimonium satis exprimitur per verbum « *ob* ».

Ill.mus duodecimus Consultor negat illa verba adhibita fuisse *quia* etiam metus inconsulte incussus in canone comprehenderetur; ideo ratio invocata ab Exc.mo nono Consultore illa verba non videtur sustinere.

Rev.mus quintus Consultor censet illa verba quoad substantiam servari debere quia exprimunt malum quod timetur ita imminere ut quis eligat matrimonium ad malum vitandum. Ideo dici posset: «...*quem quis non nisi matrimonium contrahendo effugere possit*».

Rev.mus Relator autem proponit ut dicatur: «...*quo quis cogatur eligere matrimonium*».

Exc.mus nonus Consultor proponit: «...*quem pars coacta aliter evitare nequeat, nisi matrimonium sibi invisum eligendo*».

Suffragatur utrum placeant illa verba prout sunt in Codice necne.

Placet 10; non placet 3.

c. Rev.mus quartus Consultor proponit ut in alia paragrapho declaratur principium iuris naturalis quod nempe «*metus gravissimus (qui nempe voluntarium destruit) matrimonium (ipso iure naturali) reddit invalidum*». Hoc modo solveretur difficultas quae provenire videtur ex actuali § 2 can. 1087 CIC. Nam si nova paragraphus proposita non approbatur, non est verum declarare «*Nullus alius metus (i.e. praeter gravem de quo in § 1) matrimonii nullitatem secumfert*», nisi intelligatur hanc declarationem — et per implicationem totum canonem 1087 — loqui tantum de iure ecclesiastico. Quod aliam excitat difficultatem. Valde enim disputatur utrum metus gravis, de quo in § 1, matrimonium dirimat solo iure ecclesiastico an etiam iure naturae.

Ill.mus duodecimus Consultor negat quod dari possit metus gravissimus qui voluntarium omnino destruat.

Rev.mus tertius Consultor vero censet dari posse metum gravissimum qui voluntarium tollat, proinde opportuna esset, etsi non necessaria, alia paragraphus proposita a Rev.mo quarto Consultore.

Rev.mus decimus Consultor etiam opportunitatem novae paragraphi negat quia patet ex principiis generalibus matrimonium esse nullum, cum consensus desit.

Rev.mus Relator proponit ut prius examinetur num § 2 can. 1087 CIC servari debeat. Si enim Consultoribus placeat § 2 delere, iam cadit quaestio Rev.mi quarti Consultoris.

Omnes Consultores respondent § 2 omitti posse, quia iam in § 1 clare describitur quoniam metus matrimonium nullum reddat.

d. Rev.mus quintus Consultor proponit ut discussio habeatur utrum metus intrinsecus invalidare possit matrimonium necne.

Exc.mus nonus Consultor respondit circa hanc materiam servandam esse traditionem canonicam quae numquam talem metum consideravit tamquam causam invalidantem. Quinam posset determinare mensuram huius metus?

Rev.mus secundus Consultor censet quod hodierna scientia psychologica iam habet media quibus determinari possent varii gradus metus intrinseci.

Alii Consultores communiter consentiunt cum Exc.mo nono Consultore et censent casus metus intrinseci examinandos esse quando de impotentia sic dicta « morali » sermo erit.

e. Rev.mus quintus Consultor aliam quaestionem introducit.

Sicuti satis notum est, secundum praevalentem iurisprudentiam S.R. Rotae nullitas matrimonii non simul et e capite metus et e capite simulationis declarari potest. Quod factum aliquod malum secumfert. Ex.gr. alicui actori in prima instantia sententia positiva arridet e capite metus. Defensore vinculi appellante, secunda instantia etiam affirmativam sententiam fert, sed e capite simulationis; quidem non esse dubitandum, quin actor ad celebrationem matrimonii metu gravi, iniusto, etc. pressus sit, sicut sententia secunda in rationibus allatis expresse explicat, sed actorem sub influxu illius metus consensum simulasse. Ergo in hoc casu appellatio ad tertiam instantiam necessaria est, quamquam certissime duae sententiae metum gravem revera adfuisse testificantur.

Ad vitandam necessitatem tertiae instantiae, in can. 1087 §1 addi possent haec verba: « *Invalidum est matrimonium, consensu sive praestito sive deficiente, initum ob vim...* ».

Rev.mus Secretarius refert de mutationibus inductis a Coetu competenti circa proceduram secundae instantiae, quarum gratia difficultates factae a Rev.mo quinto Consultore non parum attenuari possunt.

Rev.mus tertius Consultor censet per propositionem Rev.mi quinti Consultoris duo capita nullitatis (nullitas ex metu et nullitas ex simulatione ob metum) ad unum reduci, quod quidem admitti nequit.

Ill.mus duodecimus Consultor animadvertit illas difficultates a Rev.mo quinto Consultore factas solvi debere in sede competente, in Coetu nempe de iure processuali.

Alii Consultores concordant cum Ill.mo duodecimo Consultore.

Quod attinet ad quaestiones de purificatione defectus ex metu, Consultores concordant ut de illis discussio differatur usque dum sermo sit de convalidatione matrimonii.

Adunatio IV^a
die 11 novembris 1969 – vespere habita

DE MATRIMONIO SUB CONDITIONE CONTRACTO

1. *Conditiones de futuro*

a. Plures Consultores proponunt ut matrimonium, sub conditione de futuro initum, irritetur (Exc.mus primus Consultor et Ill.mi Consultores tertius, quintus, quartus, sextus et duodecimus).

Relationes sequentes dantur:

1. Nihil ob stare videtur quominus Ecclesia propter bonum commune sub poena nullitatis vetet matrimonium sub conditione contrahi (Exc.mus primus Consultor); non enim exigitur iure naturae ut tale matrimonium contrahi possit (Rev.mus tertius Consultor).

2. Pendente conditione, quaevis pars potest consensum revocare et ita omne ligamen e matrimonio conditionato promanans destruere potest. Ergo matrimonium sic conditionatum inutile evadit, cum non praebeat maiorem firmitatem quam sponsalia de futuro (Ill.mi tertius, quintus, sextus et duodecimus Consultores).

3. Norma quae admittit matrimonium sub conditione de futuro difficultatibus theoreticis scatet. In consensu enim conditionato habetur separatio temporalis inter momentum quo ponitur consensus et momentum quo fit vinculum. Adest, ergo, hiatus temporalis, quo durante, res dicitur pendere; sed haec situatio pendentiae difficulter explicari potest. Signum habemus huius difficultatis in eo quod theoria de consensu conditionato non applicatur contractibus civilibus; in eis ad complendum hiatum leges introduxerunt ius quoddam expectativae, vi cuius, ille cuius interest, potest actiones exercere ad ius suum incolume servandum. Contractus ergo civilis conditionatus sustinetur non sua vi, sua natura, sed ex legis positivae dispositione. Sed in iure matrimoniali hiatus de quo supra lege canonica non potest impleri, quia non lex, sed solus consensus nuptias facit (Rev.mus tertius Consultor).

b. Quidam Consultores proponunt ut matrimonia sub conditione de futuro ne admittantur sine consensu Ordinarii. Consensu autem Ordinarii deficiente, illa matrimonia sunt illicita, sed valida (Exc.mus octavus et Rev.mi secundus, septimus et undecimus Consultores).

c. Alii Consultores autem proponunt ut novus Codex sileat omnino de matrimoniis sub conditione (Exc.mus nonus Consultor et Rev.mus decimus Consultor).

Ratio Exc.mi noni Consultoris est quia adsunt argumenta valida sive pro sustinendis sive pro irritandis matrimoniis sub conditione.

Rev.mus decimus Consultor, contra illos qui sustinent matrimonia conditionata, dicit quod amor, qui magnum valorem in matrimonio habet, concipi nequit cum conditione. Neque decet recipere sacramenta sub conditione.

Contra illos qui volunt irritare matrimonia conditionata ad abusum tollendos, idem Consultor refert verba S. Thomas: « Lex humana non potest omnia quae male fiunt punire vel prohibere; quia dum auferre vellet omnia mala, sequeretur quod etiam multa bona tollerentur, et impediretur utilitas boni communis, quod est necessarium ad conservationem humanam » (*Summa Theol.*, 1, 2 q. 91, a. IV).

Relator notat quod maioritas Consultorum favet propositioni de irritandis matrimoniis sub conditione de futuro initis.

Ideo proponit ut suffragetur placeatne § 1 can. 1092 ita redigere: « *Matrimonium sub conditione de futuro valide contrahi nequit* ».

Placet 8; non placet. 4; abstinet a sententia ferenda 1.

Consultores perpenderunt notulam a Card. Gasparri in suo tractatu de matrimonio (a. 1932) positam vol. II, p. 73, n. 2.

Adunatio V^a

die 12 novembris 1969 – mane habita

2. *Conditiones de praeterito vel de praesenti.*

Fere omnes Consultores (10 contra 3) sustinere volunt matrimonia inita sub conditione de praeterito vel de praesenti.

Aliqui Consultores tamen quasdam limitationes imponere volunt:

a. admittantur tantum conditiones de praeterito vel de praesenti quae respiciunt *essentiales* qualitates compartis, eas scilicet de quibus egimus quando sermo fuit de dolo (Ill.mi quartus et duodecimus Consultores);

b. requiratur licentia Ordinarii loci (Exc.mus octavus Consultor et Rev.mi secundus, tertius et septimus Consultores).

c. alia pars edoceri debet de conditione consensui apposita (Rev.mus tertius Consultor).

Attentis propositionibus circa has limitationes, Rev.mus Secretarius proponit ut procedatur per successivas suffragationes ad seligendam propositionem secundum quam redigi possit § 2 canonis 1092; ideo sequentes suffragationes habentur:

1. Placeatne formula prout est in Codice: « *Matrimonium sub conditione de praeterito vel de praesenti erit validum vel non, prout id, quod conditio ni subest, existit vel non* ».

Placet 6; non placet 7.

2. Placeatne haec propositio: « *Conditio de praeterito vel de praesenti pro non adiecta habeatur nisi ipsa ab Ordinario loci approbata et aliae parti nota fuerit* ».

Placet 2; non placet 11.

3. Placeatne haec propositio: « *Conditio...pro non adiecta habeatur nisi ab Ordinario loci scripto approbata fuerit* ».

Placet 3; non placet 10.

4. Placeatne haec propositio: « *Matrimonium sub conditione de praeterito vel de praesenti valide contrahi nequit nisi conditio respiciat qualitatem essentialem alterius partis* ».

Placet 1; non placet. 11; abstinet a sententia ferenda 1.

5. Placeatne haec propositio: « *Matrimonium sub conditione de praeterito vel de praesenti valide contrahi nequit nisi conditio alteri parti nota sit et ab Ordinario loci scripto approbata fuerit* ».

Placet 1; non placet 12.

6. Placeatne haec propositio: « *Matrimonium sub conditione de praeterito vel de praesenti valide contrahi nequit, nisi conditio ab Ordinario loci scripto approbata fuerit* ».

Placet 5; non placet 7; abstinet a sententia ferenda 1.

7. Placeatne haec propositio: « *Matrimonium...licite contrahi nequit nisi adsit licentia Ordinarii loci scripto data et nisi conditio alteri parti nota sit* ».

Placet 1; non placet 10; abstinent a sententia ferenda 2.

8. Placeatne haec propositio: « *Matrimonium... licite contrahi nequit sine licentia Ordinarii scripto data* ».

Placet 9; non placet 3 ; abstinet a sententia ferenda 1.

Attentis his suffragationibus, sequens norma redigitur:

§ 2. *Matrimonium sub conditione de praeterito vel de praesenti initum erit validum vel non, prout id, quod conditioni subest, existit vel non.*

§ 3. *Conditio autem de qua in § 2 licite apponi nequit, nisi cum licentia Ordinarii loci scripto data.*

Em.mus Cardinalis Praeses notat per licentiam Ordinarii haberi quandam quasi «institutionalizationem» conditionis, quae vitari deberet. Conditiones enim, consensui appositae, potius tolerantur et melius esset si non accederet licentia Ordinarii.

Rev.mi tertius et septimus Consultores proponunt ut sanctio habeatur, contra eos qui conditionem apposuerunt sine licentia Ordinarii, ut nempe declarentur inhabiles ad matrimonium accusandum.

Talis propositio non placet Consultoribus.

Exc.mus nonus Consultor notat quod quaedam sanctio iam habetur in eo quod, qui non petiit licentiam, difficulter postea probare poterit se conditionem apposuisse. Et Rev.mus Relator addit quod, si licentia Ordinarii non habetur, iam parochus non potest *licite* matrimonio adsistere; et etiam in hoc habetur aliqua sanctio, quae sufficere videtur.

Ceterum quaestio de habilitate ad accusandum matrimonium pertinet ad Coetum de iure processuali.

Adunatio VI^a

die 13 novembris 1969 – mane habita

Huic conventui praest Em.mus Cardinalis Praeses.

Can. 1093

Plures Consultores extendere volunt principium de praesumptione perseverantiae consensus non solum ad casus quando matrimonium est invalidum «ratione impedimenti», sed etiam quando est invalidum ob alias causas.

Quidam petunt ut extensio fiat ad omnes casus nullitatis, quacumque ex causa, sed Em.mus Praeses et Rev.mus Secretarius notant talem extensionem fieri posse ad omnes casus nullitatis, *exceptis illis ex vitiis ipsius consensus*.

Exc.mus nonus et Rev.mus septimus Consultores proponunt ut extensio fiat ad nullitates ex defectu formae canonicae.

Rev.mi tertius et undecimus Consultores proponunt ut praesumptio extendatur ad nullitates ex defectu formae et praeterea additionem volunt qua dicatur « consensus, *etiam ab una parte praestitum*, perseverare ».

Ad formulam quod attinet, Rev.mus secundus Consultor proponit: « *Consensus praestitus praesumitur perseverare, donec de eius revocatione constiterit* ».

Rev.mus septimus Consultor concordat cum Rev.mo secundo Consultore, facta tamen hac additione: « *Consensus naturaliter validus, praesumitur perseverare, etc...* ».

Rev.mus quintus Consultor proponit: « *Etsi matrimonium invalide contractum fuerit, consensus praestitus praesumitur validus, donec etc...* ».

Em.mus Praeses proponit: « *Etsi matrimonium invalide ob alias causas initum fuerit, consensus praestitus etc...* ».

De his omnibus formulis habetur aliqua discussio, sed nulla ex illis Consultoribus placet.

Tandem Em.mus Praeses proponit ut fiat suffragatio circa hanc formulam:

« *Etsi matrimonium invalide ratione impedimenti vel defectus formae initum fuerit, consensus praestitus praesumitur perseverare, donec de eius revocatione constiterit* ».

Placet 8; non placet 5.

Deinde Em.mus Praeses rogat Consultores ut accurate studeant quaestionem de impotentia matrimoniali, collatis consiliis, si opus fuerit, cum peritis in scientia medica et neurologica, ac votum redigant circa hanc quaestionem de qua agendum erit in proxima Sessione.

His dictis, finis sessioni imponitur.

APPENDIX
CANONES APPROBATI

Can. 1087

Invalidum est matrimonium initum ob vim vel metum gravem ab extrinseco et iniuste, etiam inconsulte incussum, a quo ut quis se liberet, eligere cogatur matrimonium.

Can. 1092

§ 1. Matrimonium sub conditione de futuro valide contrahi nequit.

§ 2. Matrimonium sub conditione de praeterito vel de praesenti initum erit validum vel non, prout id, quod conditioni subest, existit vel non.

§ 3. Conditio autem de qua in § 2 licite apponi nequit, nisi cum licentia Ordinarii loci scripto data.

Can. 1093

Etsi matrimonium invalide ratione impedimenti vel defectus formae initum fuerit, consensus praestitus praesumitur perseverare, donec de eius revocatione constiterit.